Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars II.
Wien, 1794 Seite 1639
Quelle:
Copyright:

missa adventus sui caussa nempe *Ambasiata* subdit: *si placet dicto magistro Johanni Huss Baccalaureum formatum in sacra pagina se pretendenti vel cuilibet alteri ex suis complicibus uel adherentibus in hac parte venire Parisius, uel ad Curiam romanam uel ad quodcunque aliud generale studium approbatum vtrique parti indifferens et ibi aliqua determinare, protestor quod ero paratus ad defendenda mea dicta* &c. Haec Dicta deinceps subjungit, quae repetuntur ab Husso in *Posit.* ut habes edit. *cit.* p. 135. ubi tamen abest *Intimatio Stockii*, sub cujus finem Adversariis expensae in iter promittuntur. Ordo rei postulasset, ut *Intimatio Positionem* in *Cod.* praecederet. *Stockium* nostrum deinceps *Constantiae* testem adversus *Hussum* comparuisse, apud *Cochlaeum Hist. Huss.* L. III. p. 116. et in *Gebh. Dacherii* Catalogo T. XVI. *Concil.* edit. *Venet. col.* 1419. et 1422. video. Manserit videlicet alta mente reposta vis, certe non amica, *Pragae* facta. Vide mox infra.

XV. *fol.* 159. *Sequitur posicio Magistri Jacobelli* (de Miza) *discipuli Magistri Johannis Hus. De Articulo*, ut e calce praeoccupo, *scilicet Ditare clerum est contra regulam christi.* Est hic *Articulus* numero 32. inter *Wicleffianos* ab Academia *Pragena* examini subjectos, quem sibi Noster defendendum sumsit. Inchoat: *Suppono quod regula christi in proposito vocetur veritas vite et doctrine christi* &c. Qui de *Jacobelli* Scriptis egere apud *Fabric. Bibl. med. Lat.* L. IX. p. 14. nostrum istud ignorasse videntur.

XVI. *fol.* 172. *Sequitur posicio Magistri Johannis de Articulo scilicet Nullus est dominus ciuilis, nullus est prelatus, nullus Episcopus dum est in peccato mortali.* Initium: *Articulus tria continet* &c. Est is *Articulus* numero 15. inter *Wicleffianos.* Nobis definit in ea verba: *apparebit finaliter sanctis omnibus gloriosus.* Et rite quidem; quae enim in Impress. p. 167. sequuntur, jam ad alium *Art.* videlicet IV. pertinent. Eorum loco in *Cod.* adtextus est ingressus ad defensionem *Articuli* XVIII. *de Decimis*, quae habetur in Impress. p. 156. *Cum sit necessarium hominibus ratione vigentibus* &c. sed tantum usque ad verba: *de quorum numero de Decimis est tractandum.* Integram supra indicavi N. XIII.

XVII. *fol.* 187. p. 2. *Sequitur Determinacio vnius Doctoris venerabilis parisien. habita prage contra wycleffistas.* Ita quidem Ἐπιγραφή, sed ad calcem doctor hic audit *Johannes Stokes Anglicus*, cujus *Intimacio* supra N. XIV. occurrit. Itaque vir hic, dum *Pragae* legationis caussa moraretur, pluribus interpellantibus adductus in arenam tandem descendisse videtur. Disputationis initium est ejusmodi: *Inter alia disputata ex tempore hec questio versabatur, vtrum viris ecclesiasticis seu clericis liceat aliquid possidere. Vbi vna pars tenebat,*